bus suis*. & Psal. 130. 8. *Ipsè redimet Israel ex  
omnibus יְנוּתָיו iniquitatibus eius*, in qui-  
bus duobus exemplis vidēs idē affi-  
xum modò reciprocè, modò tantum re-  
latiuè accipi.

18. Relatiuum אֲשֶׁר & antecedens non  
possunt non conuenire, cùm illud utrius-  
que & generis, & numeri sit, nec in ca-  
sus inflectatur modò: tamen relatiuum  
omitti

omittitur, vt Pl. 18.44. **עַם לֹא יָדַעְתִּי יַעֲבֹדוּנִי** *populus (אֲשֶׁר quem) non cognoui, seruiuit mihi: modò ipsum antecedēs, Ruth. 2.9. וּשְׁתִּיתִּי*  
**מֵאֲשֶׁר יִשְׁאַבּוּן** & *bibe de (מֵיִם aqua) quam hauserint. Genes. 44. 1. וַיִּצַּו אֶת-אֲשֶׁר עַל-בֵּיתוֹ.*  
*Et præcepit, qui super domum suam, id est, præcepit ei, qui, &c. siue, dispensatori domus suæ.*

19. Post relatiuum passim additur frequenti voci aliud relatiuum, seu pronomen affixum, vel redundās, vel emphaticum, vt Gen. 1.11. **אֲשֶׁר זָרַעַן בּוֹ** *cuius semen eius in ipso. Psa. 1.4. כִּמּוֹץ אֲשֶׁר תִּדְפֶּנּוּ רוּחַ* *sicut puluis seu gluma quam proijciet eam ventus.*  
 Hinc illud Psa. 19.4. *quorum non audiantur voces eorum.* Item Psa. 122.4. *Cuius participatio eius in idipsum, pro, cuius participatio pariter, & alia non pauca hunc Hebraismum imitantia.* Est etiam vbi hoc affixum solùm sine relatiuo ponitur. vt Iob 5. 17. **אֲשֶׁר יִכְחַשׁ אֱלֹהִים** *Beatus homo, quem corripit Deus.*

20. Usitatum est Hebræis ponere nomina



minatiuum nominis, cuius postea casum alium per affixum, vel aliter referunt. vt

Pf. 11. 4. יהוה בשמים כסאו *Dominus in caelo sedes eius*, pro, *Dominus in caelo sedes*. Num. 5.

12. איש איש בן תשטה אשתו, *Vir, vir, si declinauerit uxor eius*, id est, *cuiuscunque uxor errauerit*: nam איש pro unoquoque etiam non

geminatum solet accipi. Pf. 90. ימי שנותינו *Dies annorum nostrorum*

in ipsis septuaginta anni, id est, in ipsis diebus annorum nostrorum ( sunt ) septuaginta anni.

21. Relatiuum ponitur interdum ante suum antecedens, vel id refert, quod mente cogitatur, vt Exod. 2.

וַיִּרְאֵהוּ אֶת-הַיֶּלֶד וַיִּרְאֵהוּ אֶת-הַיֶּלֶד *vidit eum puerum*. Pf. 87. 1. יסודתו *fundamentum eius* ( gloriosae ciuitatis Dei, de qua v.

3.) in montibus sanctis. Prou. 7. 8. *considero uerdecordem iuuenem, qui transit per plateam iuxta*

פנה *angulum eius*, & prope *viam ביתה domus illius* ( mulieris scilicet, de qua v. 10.)

graditur. Cant. 3. 3. Num *את שאהבה quem diligit anima mea vidisti?* ad cuius imitatio-

nem

nem illa feruens amore 10. 20. 15. dicebat.  
*Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi.*

22. Ipsum antecedens non rarò ponitur loco relatiui, maximè si nomen proprium sit, vt eundem esse, de quo dicitur, dubitari omnino non possit. vt Gen. 5. 1.  
*Creauit Deus hominem, ad similitudinem*  
 אֱלֹהִים Dei (pro, suam) fecit illum. Gen. 4.  
 23. Dixit Lamech uxoribus suis Adæ & Sellæ:  
*audite vocem meam* נְשֵׁי לָמֶךְ uxores Lamech,  
 pro, uxores meæ.

## CAPVT II.

### *De Constructione verborum.*

1. **V**ERBUM personale finiti modi antecedit nominatiuus eiusdem plerumque generis, numeri & personæ, vt  
 אֲנִי אָמַרְתִּי ego dixi. אַתָּה תְּבַרֵךְ tu benedices.  
 יְהִי אֹרֶךְ fiat lux.

2. Verbum generis masculini iungitur  
 quan

quandoque cum nomine generis fœminini, & vicissim nomen masculinum cum verbo fœminino, vt 1. Sam. 25. 27. *Suscipe benedictionem, quam הביא שפחתך attulit ancilla tua.* 2. Sam. 13. 39. ותכל הַיּוֹד cessauitque David. Eccl. 10. 15. תִּינַעַנּוּ הַכְּסִילִים labor stultorum affliget eum, siue eos, id est, unumquemque stultorum. In illo Cant. 2. 7. adiuuro vos אַתְּכֶם filia Ierusalem, per capreas ceruosque camporum, ne suscitetis תַּעִירוּ neque euigilare faciatis תַּעֲוִרְרוּ dilectã, genus etiam pronominis mutatum cernis.

3. Verbum numeri pluralis iungitur interdum cum nomine numeri singularis, vt Hag. 2. 8. וּבָאוּ הַמֵּרַת גּוֹיִם & venient desiderium gentium. Sed locus iste valde probabiliter olim aliter habuit, quemadmodum videre licet apud P. Riber. in eundem. Potest etiam ad Reg. 4. referri, quæ sequitur. Certius est tum id potissimum fieri, cum nomen singulare collectiuum est, multosque complectitur, vt Ps. 65. 11. חֵיתְךָ יִשְׁכּוּ בָהּ animal tuum habitabunt



*habitabunt in ea, pro animalia tua. Ionæ 1.5.*  
*Et timuerūt nautæ, & clamauerunt וַיִּזְעֻקוּ וַיִּשְׂאוּ*  
*אֲזָנָם ad Deum suum, id est, viri, siue unusquis-*  
*que virorum. Solet etiam oppositum fieri,*  
*nomen scilicet plurale construi cum ver-*  
*bo singulari, vt Gen. 1.14. יִהְיֶה מְאֹרֹת fiat lu-*  
*minaria, pro, fiant, maximè cum nomen*  
*pluralis numeri distributiue potest ex-*  
*plicari, vt Gen. 49.22. בָּנוֹת צַעֲרָה filia discur-*  
*rit, id est, unaquæque filiarum discurrit: aut ad*  
*excellentiã indicandã, vt Prou. 9.1.*  
*הִבְנִיתָ חֵכְמוֹת בְּנִיתָהּ sapientia edificauit sibi domum.*  
*Aut ad mysterium Ss. Trinitatis insi-*  
*nuandum, vt Gen. 1.7.1. בָּרָא אֱלֹהִים creauit*  
*Dei, id est, vnus trinusque Deus.*

4 Cùm duo nomina per Regimen con-  
iunguntur, verbum aliquando in genere  
& numero conuenit cum posteriore,  
quamuis sensu cum priore consentiat, vt  
Eccl. 10. 1. וְכֹבֵי מוֹת יִבְאֵשׁ יִבִּיעַ שְׁמֶן muscæ  
*mortis fetere faciet, exhalare faciet unguen-*  
*tum, id est, muscæ mortis perdunt suauitatem*  
*unguenti. Gen. 4. 10. קוֹל דְּמֵי אֶחָד צוֹעֵקִים*  
*vox*  
*sanguis*

*sanguinum fratris tui clamant, pro, vox sanguinis fratris tui clamat.*

5. Non est inusitatus transitus ab una Persona ad aliam, etiam in eodem versu, ut Isa. 54. 1. *Lætare sterilis, quæ non ילדה parit,* pro, *paris.* Idem cap. 22. 19. *Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te,* יוהרסק, id est, *deponet te.* Gen. 49. 9. *Ad prædam, fili mi, ascendisti, requiescens accubivisti* (רביץ accubuit) *ut leo.* Psal. 81. 17. *cibavit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturavit* (אשביע saturavi) *eos.* Addunt aliqui mutationem in eodem orationis membro, cuiusmodi ponunt illud Job. 17. 10. כלם תשוב omnes illi convertemini, sed rectius videtur rejici, cum כ affixum respondere possit Latino quoque vocabulo *ipse, ipsa, ipsum,* hoc verò etiam primæ & secundæ personæ adiungi, ut constat, sicut etiam pronomen הוּא in illo Ps. 44. 5. מלכי אתה הוּא *Tu ipse rex meus.* Item Isa. 37. 16. Isa. 43. 10. & 13. *ego ipse.* 25.

6. Tertia persona utriusque numeri su-

Y

mitur

mitur impersonaliter, ut Genes. 16. 14.

עַל־כֵּן קָרָא לְבְאֵר בְּאֵר לַחַי רֵאִי *propterea vocatum est putei* ( hoc est, nomen putei )

*puteus viuentis, & videntis me.* nisi malis hic verbum masculinum esse positum pro fœmi-

nino, quod ex §. 2. huius capituli fit probabile, sicque sensus erit; appellavit ( Agar )

*puteum illum, puteum viuentis & videntis me.*

Mich. 2. 4. *In illa die sumetur* ( יִשָּׂא ) *sumet* )

*super vos parabola, & cantabitur* ( וְנָהָה & cantabit lamentans ) *canticum cum suavitate.*

Psal. 87. 5. וְלִצִּיּוֹן יֵאָמֵר & *Sioni dicetur.*

Qui vertit *numquid Sion dicet*, sub יֵאָמֵר alia puncta videtur intellexisse, alioqui cum

istis punctis, quibus nunc afficitur, est personalis constructio.

7. Præcedentia tempora sæpe dant adsignificationem subsequentibus, ut si sequantur futura vel infinita post præteritum, ea sint ad modum præteriti exponenda, ut Isa. 6. 2. *Duabus velabant* יִבְסֹה & c.

*& duabus volabant* יַעֲוִיפוּ *quia præcessit* עֹמְדִים *stantes seu stabant*, quod futurum

non



non est. Exōd.15.5. תְּהַכֹּת יַבְסִימוּ abyssi operuerunt eos, quia præcellit טָבַעוּ בֵּי-סוּף submersi sunt in mari rubro. Psal.35.16. Tentauerunt me, &c. חָרַק frendere, (pro frenduerunt) super me dentibus suis.

8. Etiam alioqui frequens est temporum, & modorum Enallage, veluti

Præteritum ponitur pro futuro, etiam absente cōuersiuo (de quo p.252.) ut Mic. 7. 8. Ne lateris inimica mea super me, כִּי נִפְלֵתִי quia cecidi, consurgam. Item pro infinito, ut 2.Sam.12.14. נִאָּץ נִאָּץ בְּלִפְנֵי blasphemando blasphemasti, seu blasphemare fecisti, nisi fortè in נִאָּץ puncta sint perperam posita pro נִאָּץ. Item pro præsentis, ut Ezech.13.3. וְ Prophetae insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, וְ לֹבְלֵתִי רָאוּ & nihil vident, siue, cùm nihil videant. Deut.26. v.3. הִנְדַּרְתִּי profiteor.

Participium passiuum pro actiuo ponitur, ut Iud 8.11. per viam הַשְּׂכוּנֵי בְּאֹהֲלֵי habitantium in tentorijs seu tabernaculis. nisi malis esse nomen Toar. Cantic.3.8. omnes אחוּי חָרַב tenentes gladium. Item actiuum

pro passiuo, ut 1. Reg. 22. 35. *Rex Israël מעמד* stabat in curru suo. Potest tamen explicari passiuè, *constitutus erat in curru suo*, eodem sensu: quare diligenter attendendum, ne in huiusmodi mutationibus concedamus nimium, nimiumque à communibus regulis discedamus.

Futurum sumitur pro præterito, etiam sine ׀ conuersiuo, ut Iob. 1. v. 5. *Sic יעשה* faciebat Job cunctis diebus. Iud. 2. 1. *אעלה* Eduxi vos de Ægypto. Et cum præcedit particula ׀, ut Exod. 15. 1. *אז ישיר*, Tunc cecinit Moyses & filij Israel. Item pro præsentis, maximè cum voce interrogationis, ut Gen. 32. 17. *Quis es, aut quò תלך* vadis? Iob. 1. 7. *מאין תבא* unde venis? Item pro Imperatiuo, ut Deut. 6. 13. *Dominum Deum tuum תירא* timebis. Peculiariter autem præcepta negativa per futurum dari solent, quòd vim suam in omne tempus exerant. Item pro infinito. Eccl. 8. 3. *ne festines recedere* (תלך, recedes, ibis) à facie eius. 1. Sam. 2. 3. *nolite multiplicare loqui* (תרבירו loquemini) sublimia.

Posset

Possset tamen in istis subaudiri ו, quo sensus fiat, *ut recedas, ut loquamini.*

Imperatiuus quandoque ponitur pro futuro, maximè in promissionibus, ut Proverb. 3. 4. *misericordia & veritas te non deserant, circumda,* &c. וּמְצָא־תָּהוּ & *inveni, pro inuenies gratiam.* c. 4. 4. *custodi præcepta mea, וַחַיֵּה & viue, pro viues.* Isa. 55. 2. *audite audientes me וְאָכְלוּ טוֹב & comedite, pro comedetis, bonum.*

Infinitiuus pro præterito, ut Psal. 8. 2. *Quoniam תָּנָה ponere, pro, posuisti, magnificentiam tuam super cælos.* Ezech. 1. 14. *Et animalia ibant & revertebantur, רָצוּ וָשׁוּב.* Item pro Imperatiuo, ut Psal. 17. 5. *perfice gressus meos in semitis tuis, תַּמְךָ sustenta,* Item pro futuro, Leuit. 6. 14. *Hæc est lex sacrificij & libamentorum, quæ תִּקְרְבוּ offerent filij Aaron coram Domino.*

9. Infinitivus augendæ significationis gratia sæpissimè verbi sui præterito vel futuro adiungitur & plerumque præponitur, Gen. 26. 28. רָאוּ רָאוּנוּ *videndo vidimus.*



1. Sam. I. II. רָאָה תִּרְאֶה *videndo videbis*: imperatiuo autem postponitur, ut Isa. 6. 9. שְׁמְעוּ שְׁמוֹעַ וְאַל-תִּבְיִנוּ וּרְאוּ רְאוּ וְאַל-תִּדְעוּ  
*Audite audientes, & nolite intelligere, & videte videndo, & nolite cognoscere.* Actiuum etiam & passiuum coniunguntur, ut Exo. 19. 13. יִרְהַב אֱלֹהִים יִרְהַב *lapidando lapidabitur*, aut *iaculando iaculabitur*.

10. Verbum הָיָה *est*, cum Datiuo possessionem significat, explicarique potest per verbū habet, ut Ge. 26. 14. וַיְהִי-לּוֹ מִקְנֵה צֹאן. *Et fuit illi possessio pecoris.* Sæpe tamen omittitur, ut Genes. 18. 10. וְלִישָׁרָה בֵן. *Et Sara filius*, scilicet, *erit.* Ps. 24. 1. לַיהוָה הָאָרֶץ וּמְלוֹאָהּ. *Domini est terra, & plenitudo eius.* Cū idem verbū substantiuè accipitur, eius vim suppleant pronomina, ut Psal. 119. 128. עַבְדְּךָ-אֲנִי. *seruus tuus ego*, pro, *sum ego.* Psalm. 128. 2. אֲשֶׁרִיךְ וְשׂוֹב לְךָ. *beatus tu, & bene tibi*, pro, *beatus es, & bene tibi erit.* Gen. 42. 9. מְרַגְלִים אַתֶּם. *exploratores estis.*

11. Verbis, quæ voluntatem facultatēque significant, additur infinitiuus cum

cum ל, vt Prou. 24.1. *Ne emuleris viros malos, & ne desideres להיות esse cum eis.* Gen. 45.1. *non poterat ultra להתאפי' se continere Ioseph.* tamen ל. interdum omittitur.

12. Verba sensuum, & alia quædam præpositiones amant, constructione Latinis inusitata. vt Psal. 105. 6. *לראות בְּטוֹבַת בְּחִירוֹךָ ad videndum in bonitate electorum tuorum*, id est, *ut videam bonitatem electorum tuorum.* Psal. 20.8. *Hi in curribus & equis; nos autem בְּשֵׁם יְהוָה אֱלֹהֵינוּ נִזְכֹּר in nomine Domini Dei nostri memorabimus, siue inuocabimus.* Psal. 78.22. *Non crediderunt בְּאֱלֹהִים in Deo*, id est, *Deo non crediderunt.*

13. Verba motum per se non significantia, beneficio præpositionum eiusmodi verba supplēt, ac duplicem quodammodo significationem habent, vt Psal. 18. 22. *וְלֹא רָשַׁעְתִּי מֵאֱלֹהֵי nec impiè gessi à Deo meo*, id est, *nec impiè me gerendo defeci à Deo meo.* Psal. 73.27. *Perdis omnem זֹנֶה מִמֶּךָ qui fornicatur abs te*, id est, *quicumque fornicando recedit à te.* Numer. 19. 2. *וַיִּקְחוּ אֵלָיךְ Et accipient,*

id est, accipientes ducent, ad te vaccam rufam. Psalm. 104. 22. וְאֵל־מְעוֹנֹתָם יִרְבְּצוּן & ad cubilia sua recumbent, id est, ibunt, ut recumbant.

14. Verba quæ repetitionem iteratam uel actionem significant, commodissimè per Latinorum aduerbia explicantur, ut Job. 7. 7. non (תשוב) reuertetur oculus meus, ut videat bona, id est, non amplius videbit bona. Simile est illud Ps 85. 7. Deus tu conuersus, (id est, iterum) uiuificabis nos. Iud. 3. 12. Addiderunt autem (וּסְפוּ) filij Israel facere, id est, iterum fecerunt, malum in conspectu Domini.

15. Sacra lingua peculiariter gaudet uerbis transitiuis, quæ regant nomina ab iisdem ipsis uerbis profecta, ut Exod. 3. 3. uadam & אֶרְאֶה אֶת־הַמַּרְאֶה uidebo uisionem hanc magnam. Gen. 11. 3. uenite faciamus lateres: (נִלְבְּנָה לְבִנְיִם laterificemus lateres) & וְנִשְׂרַפָּה לְשִׂרְפָּה & cōsumamus eos igni, & cōsumamus ad combustionem. Ezech. 17. 1. ubi nos legimus: propone enigma, & narra parabo



*parabolā*, Hebræa habet, חֹד חִירָה וּמִשָּׁל מִשָּׁל, *enigmatiza enigma*, & *paraboliza parabolam*.

16. Verba Passiua suorum actiuorum casus admittunt, vt Gen. 31. v. 8. *Fecitque Abraham grāde conuiuū* בְּיוֹם הַנֶּמֶל אֶת-יִצְחָק *in die quo ablaētabatur (Isaacum) Isaac*, id est, *ablaētationis eius*. Exo. 10. 8. וַיּוֹשֶׁב אֶת-מִשֶׁה *et reductus est (Mosen) Mosēs* & *Aaron ad Pharaonē*. Ps. 72. 19. וַיִּמְלֵא כְבוֹדוֹ אֶת-כָּל-הָאָרֶץ *Et replebitur maiestate eius (omnem terrā) omnis terra*. Potest tamen videri probabilius *voculam את etiam Nominatiuo iungi* vt 1. Reg. 17. 34. Nehem. 9. 34.

17. Participia interdum absolutè ponuntur ad causam eius, quod præcessit, indicandam, vt Amos. 5. 7. *Qui conuertitis* (הַהֹפְכִים conuertentes) *in absynthium*, *iudicium*. Et cap. 8. 14. *Qui iurant* (הַנִּשְׁבְּעִים iurantes) *in delicto*, seu *per vitulum*, *Samariae*. vtrobique pœna præcedit, cuius hoc loquendi modo subiungitur causa.

18. Participia passiuua habent interdum vim nominum verbalium in *bilis*, vt

2. Sam. i. 23. *Saul & Ionathas* אִי־יָהוָה אֱמֹר *amabiles & decori valde in vita sua.* Psal. 139. 14. *mirabilia* אֲמֵר נִפְלְאוֹת *opera tua.* Ps. 145. 3. *Magnus Dominus* וְיִמְהַלֵּל *& laudabilis nimis.* Abd. i. 2. בְּזוּי *contemptibilis.* Exo. 16. 35. נוֹשֶׁבֶת *habitabilis.*

### CAPVT III.

#### De Dictione.

1. **A**DVERBIVM negandi etiam præpositum signo *omnis*, vim negatiuæ uniuersalis habet, ut Psalm. 49. 18. אֵלֶּיךָ הָיָה כָּל־הַכֶּלֶא *cum interierit, non sumet omnia, id est, nihil secum auferet.* Psal. 147. 20. לֹא־עָשָׂה כֵּן לְכָל־בְּנוֹי *non fecit taliter omni nationi, id est, nulli sic fecit.*
2. Negatio posita in præcedente sententia vel parte, sæpenumero etiam ad sequentem extenditur, sicque vicem duarum obit, vt Ps. i. 5. *Non resurgent impij in iudicio,* אֵי־יִחַטְּאוּ *& (pro, & non, seu neque)*  
peccato

peccatores in consilio iustorum. Sic Psal. 44. 19. Non est conuersum retro cor nostrum, & declinasti semitas nostras à via tua, id est, & non declinasti, &c. Prou. 17. 26. non est bonum damnnum inferre iusto, percutere principem, qui recta iudicat, id est, nec percutere, &c. bonum est.

3. Aduerbum כִּי modò solam similitudinem significat, vt Deut. 18. 15. Prophetam de gente tua & de fratribus tuis כִּי־מִנִּי sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, modò etiam æqualitatem ac veritatē. ut Isa. 17. Desolabitur כִּי־מִה־פֶּכֶת וְרֵיחַ sicut in vastitate hostili. Quando geminatur, maior paritas ac permistio indicatur, vt Isa. 24. 2. וְהָיָה כִּי־יִבְרַח כַּכֶּהֱן Et erit sicut populus, sic sacerdos, & sicut seruus, sic dominus eius, &c. Ge. 18. 25. absit à te, ut rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatque כִּי־צַדִּיק כִּי־רָשָׁע iustus sicut impius, quasi dicat: nullum inter utrumque discrimen facias. Sic Ps. 139. 11. Nox sicut dies illuminabitur, כִּי־חֹשֶׁךְ כִּי־אֹרֶחַ sicut tenebræ, ita lumen, id est, apud te prorsus pares sunt lux & tenebræ. Ponitur quandoque alterum



similitudinis membrum, omisso altero, vt  
 Ose. 11. v. 2. *vocauerunt eos, sic abierunt*, pro  
 sicut vocauerunt.

4 Aduerbiorum comparatiui etiam per  
 יותר videntur exprimi: vt Esth. 6. 6. *cui  
 volet rex facere יותר ממני יקר honorem potius,  
 vel magis, quàm mihi?* Eccles. 6. 8. *מה יותר  
 מן החכם ללמד מן הבלתי יודע  
 quid habet amplius sapiens à  
 stulto?* hoc tamen potest etiam nominali-  
 ter explicari: *quæ præstantia sapienti præ stul-  
 to?* Superlatiui per מאד geminatum, vt  
 Exod. 1. 7. *Filij Israel creuerunt, & quasi ger-  
 minantes multiplicati sunt, ac roborati במאד  
 מאד validissimè, nofter vertit nimis*, quo  
 vocabulo etiam simplex מאד vertere so-  
 let, aptâ hyperbole. vt Ps. 93. 5. *Testimonia  
 tua credibilia facta sunt מאד nimis*, q. d. *adeo,  
 ut cuiquam videri possit nimis*: duplicatum  
 tamen magis auget.

5. Frequens est apud Hebræos Enalla-  
 ge præpositionum, vt de מ. כ. ל. ב. supe-  
 riori parte cap. 6. dictum; nunc vnum &  
 alterum addamus exemplum.

אֶל quod præcipuè significat *ad*, valet etiã *super*. vt Ier. 4.3. nolite serere אֶל-קַצְיִים *super spinas*. item *cum*, Ezech. 2.6. *cum scorpionibus* אֶל-עַקְרָבִים. Item *contra* vt Isa.3.8. אֶל-יְהוָה *contra Dominũ*. Item *in*. Exo. 25. 16. Ponesque *in arca* אֶל-הָאָרֶן *testificationem, quam dabo tibi*. item *de*, vt Gen. 20.2. Dixitque אֶל-שָׂרָה *de Sara uxore sua, soror mea est*. Item *pro*, vt 1. Sam. 1. 27. אֶל-הַנֶּעֱר *pro puero*. Item *secus* siue *apud*, vt Iob. 29. 19. Radix mea aperta est *secus aquas*, אֶל-מַיִם.

אֵת quod præcipuè significat *cum*, sumitur etiam *pro ex*, vel *de*, vt 1. Reg. 18. 32. Et ædificauit אֵת-הָאֲבָנִים *de lapidibus altare*. Exod. 9. 29. *cum egressus fuero* אֵת-הָעִיר *de, vel ex urbe*. Item *pro l* datiuo seruit, ut 1. Sam. 22. 17. respondensque Achimelech אֵת-הַמֶּלֶךְ *regi, ait*. Item *pro ad*, vt 1. Sam. 30. 21. accedens autem David אֵת-הָעָם *ad populum, salutauit eos pacificè*. Item *pro per*, vt Gen. 4. 1. Possedi hominem אֵת-יְהוָה *per Deum*. Item *pro aduersum*, vt Ierem. 15. 11. *si non occurreris tibi in tempore afflictionis, & in tempore tribula*

tribulationis אֶת-הָאֹיִבַּי aduersus inimicum.

עַל quod præcipuè significat *super*, accipitur etiam pro *iuxta* siue *secus*: vnde illud Pſal. 137. 1. *super flumina* עַל-נְהַרֹתַי Babylonis illic sedimus & fleuimus: item pro *contra*, vt Pſ. 2. *aduersus Dominum* עַל-יְהוָה & *aduersus Christum eius*: item pro *ad*, vt Gen. 38. 12. *ascendebat* עַל-בְּנוֹי ad tonsores ouium suarum. item pro *cum*, vt Exo. 35. 22. *Et uenerunt* עִירֵי הַנְּשִׂיִם עַל-הַנְּשִׂיִם *cum mulieribus*. item pro *in*, vt Isa. 38. 20. *Psalms nostros cantabimus omnibus diebus vite nostre in domo Domini*, עַל-בֵּית יְהוָה. significat etiam pro *seu propter*, Pſ. 32. 6. *pro hac* עַל-זֹאת *orabit ad te omnis sanctus*, & tantundē adiuncto דְּבַר vt Pſ. 45. 5. *propter verbū veritatis* עַל-דְּבַר-אֱמֶת, id est, *propter veritatem*, item *coram*, vt Zach. 6. 5. *ut stent* עַל-אַדְוָן *coram Dominatore uniuersæ terre*.

6. Loco præpositionis *propter* usurpant תּוֹ à facie, vt Pſ. 37. 4. *non est pax ossibus meis* מִפְּנֵי à facie peccatorum meorum, id est, *ob peccata mea*, quæ vox sumitur etiam pro *contra*.

*tra.*



tra. vt Pl. 61. 4. *Factus es spes mea, turris fortitudinis* מִפְּנֵי אֹיִבַי à facie inimici. significat etiam à fronte, vt 2. Sam. 10. 9. *videns igitur loab, quod preparatum esset aduersus se prælium* וּמֵאַחֲרַיִם מִפְּנֵי אֹיִבַי & ex aduerso & post tergum. aliàs quoq; frequētes vsus habet vox ista.

7. Solent Hebræi plures propositiones coniungere præsertim מִן cum alijs, vt Pl. 78. 71. מֵאַחֲרַיִם עָלוֹת *De post factantes accepit eum, quasi dicat, de loco vel officio, quo solebat ire tamquam sedulus pastor post oues suas.* 2. Reg. 5. 27. *Et egressus est ab eo* מִלְּפָנָיו leprosus quasi nix, ac si dicat, à loco, ubi erat Giezi coram Eliseo. Gen. 37. 18. *cùm vidissent eum procul* בְּטָרָם *antequam accederet, cogitauerunt eum accidere.* Exod. 20. 20. *nolite timere* בִּי לִבְעֵבֹר *ut enim probaret vos, venit Deus, expressiùs, ad hoc, ut probaret, &c.* Deut. 30. 13. אֶל-עֵבֶר הַיָּם *trans, id est, ad locum qui est trans mare.*

8. Coniunctionum quoque non infrequens est Enallage, veluti ו, quod præcipuè significat, &, sumitur quoq; pro quia, vt Isa. 64. 5. *Ecce tu iratus es, וַיִּחַמֵּט, & (id est,*

est, quia) peccauimus. Genes. 14. 18. יהוה כהן  
 ipse enim sacerdos. item pro autem, vt Pl. 40.  
 ותתה Tu autem Domine miserere mei & resu-  
 scita me. Item pro ut Gen. 23. 1. intercedite  
 pro me, &c. ויתן לי ut det mihi speluncam du-  
 plicem. Item pro si. Exod. 13 3. ויאמרו לי si di-  
 xerint mihi. Quod est nomen eius? quid dicam  
 eis? Post אם conditionalem, denotat con-  
 sequentem orationis partem, quæ res-  
 pondeat antecedenti, vt Leuit. 6. 28. si vas  
 æneum fuerit, וברק וטטר defricabitur &  
 lauabitur aqua. Et 12. 5. si autem feminam pe-  
 perit, וטמאה immunda erit. Item pro sed, vt  
 Iob. 4. 1 si cœperimus loqui tibi, forsitan mole-  
 stè accipies, ועצר במלין sed conceptum sermo-  
 nem tenere quis poterit? Item pro vel, vt  
 Exo. 21. 15. Qui percusserit patrem suum ואמו  
 aut matrem suam, morte moriatur. Item pro  
 siue, vt Prou. 29. 9. ורגז וישחק siue irascatur, siue  
 rideat.

Sic coniunctio כי quæ præcipuè causam  
 denotat, sumitur etiam pro quòd, vt Gen.  
 1. 4. vidit Deus lucem, כי quòd esset bona. Item  
 pro sed, vt Psalm. 118. 17. non moriar, כי sed

*vinam*: hîc tamen volunt aliqui per Ec-  
 clipsin abesse **וְיָ**, sicut & in illo Psal. 116.  
 10. credidi **כִּי** propter quod locutus sum, abest  
**לִי**. nam integrè dicendum foret **כִּי לִי**.  
 verùm sæpiùs inuenitur solum, ut Deut. 5.  
 3. & cap. 8. 3. Psal. 44. 4. Item pro *ut*, Ios. 6.  
 11. *Quæ est enim fortitudo mea, כִּי ut sustineam?*  
 &c. Item pro *attamen*, ut Num. 14. 22. Item  
 pro *autem*, ut Iob. 4. 5. Jerem. 49. 10. Item  
 pro *tantùm*, ut Isa. 39. 8. *Et dixit, כִּי tantùm*  
*fiat pax & veritas in diebus meis.* Item pro  
*quando*, ut Genes. 4. 12. **כִּי** *cùm operatus fueris*  
*terram, non dabit tibi fructus suos.* Item pro  
*num, an verò*, ut Isa. 36. 19. *Numquid וְכִי libe-*  
*rauerunt Samariam de manu mea?* Item pro  
*relatiuo*, ut Gen. 4. 25. *Posuit mihi Deus semen*  
*aliud pro Abel, כִּי quem occidit Cain.* Quan-  
 do geminatur, sumitur modò copulatiuè, ut  
 Isa. 30. 21. *Hæc est via, ambulate in ea, & non*  
*declinetis neque ad dextram, neque ad sinistram,*  
**כִּי תִמְנִינוּ וְכִי תִשְׁמְאוּלוּ** ad verbum, *nec dextra-*  
*bitis, nec sinistrabitis,* modò disiuñctiuè, ut 1.  
 Reg. 18. 27. *Forsitan loquitur, כִּי aut in diuersorio*



est, וְאִי אוּת in via, &c. אֲנִי non solùm pro sed, verùm etiam pro nisi accipitur, ut 1. Sam. 30. 17. Et non euasit ex eis quisquam, nisi אֲנִי quadringenti viri adolescentes.

Sic etiam אֲנִי communiter quidem pro si accipitur, significat tamen etiam at, ut Iob. 19. 5. at אֲנִי Vos contra me erigimini. Item an, seu numquid, ut Isa. 10. 9. numquid אֲנִי non ut charcamis, sic Calano? Item aut, Exod. 32. 32. aut אֲנִי dimitte eis hanc noxam, &c. Item quando, cùm, ut Num. 36. 4. cùm אֲנִי Iubileus aduenerit. Est etiam non raro particula affirmantis, ut Prou. 23. 18. In timore Domini esto tota die, quia habebis spem in nouissimo. Hebr. quia verè אֲנִי est nouissimum, eodem sensu. Item iurantis, ut Psal. 89. 36. Semel iuravi in sancto meo, si אֲנִי David mentiar. Isa. 14. 24. Iuravit Dominus exercituum, dicens; si non אֲנִי אֲנִי ut putavi, ita erit. Priori modo vim negantis habet, posteriori asserentis. Si præponatur וְאִי fit aut aduersatiua, ut Psal. 1. 2. sed אֲנִי וְאִי in lege Domini voluntas eius. aut condicionalis,

nalis, ut Genes. 32. 26. *non dimittam te, nisi*  
 בִּי-אָנֹכִי *bendixeris mihi.* Si עַד præponatur,  
 sumitur pro אֲשֶׁר ut Genes. 24. 33. *non come-*  
*dam, donec* אֲנִי-עַד (vel usquequo) *loquar*  
*sermones meos.*

9. Coniunctio לוֹלִי, sequente ש, reddit  
 constructionem Latinis inusitatam, ut  
 Psal. 124. 1. *nisi quia Dominus erat in nobis,*  
 &c. Hebr. לוֹלִי יְהוָה שְׁהָיָה לָנוּ, *nisi Domi-*  
*nus quia erat nobis.* Sensus est, *nisi Domi-*  
*nus fuisset nobiscum.* Potest etiam dici, quòd  
 vel ש redundet, vel sit eclipsis, hunc in  
 modum supplenda, *nisi Dominus, qui erat*  
*nobiscum, obstitisset,* &c. Hanc formam no-  
 ster Interpres etiam alibi sequitur, ut Psal.  
 94. 17. *nisi quia Dominus adiuuit me,* &c. id  
 est, *nisi Dominus adiuuisset me.*

## CAPVT IV.

### *De Constructione figurata.*

**N**ON minùs Hebraica, quàm vel  
 Græca vel Latina lingua, suas habet  
 Z 2 frequen-

frequentes figuras ac tropos, nec vllis alijs caret ornamentis. Pauca, quæ huc spectent, breuiter perstringemus.

1. Enallages multa iam exempla vidimus, addamus pauca quædam alia, ut Ps. 39. 2. *tu cognouisti* וְקוֹמִי וְשִׁבְתִּי *sedere meum & resurgere meum, pro sessionem meam, & resurrectionem meam.* Psal. 102. 3. *In quacunque die invocauero te* מַהֲרָ עֲנֵנִי *festina (pro velociter) exaudi me.* tale videtur & illud Psal. 60. 8. *latabor & partibor sichimam, pro latè diuidam.* Gen. 11. 4. *da,* (pro *venite, agite,* adverbio exhortandi) *faciamus lateres.* Sic v. 7. *venite descendamus.* Genes. 27. 27. *Ecce* ( *ראה* *vide* ) *odor filij mei sicut odor agri pleni.*

2. Ad Eclipsin pertinet imprimis absentia quarundam literarum seruilium, veluti Ios. 2. 1. *in silentio, clam.* Exod. 37. 5. *Fecit & propitiatorium* וְהָבָה ( *מִזֶּהב סֵוֶן* ) *ex auro mundissimo.* Exod. 13. 8. *Hoc est,* עָשָׂה ( *pro שעשה* ) *quod fecit mihi Dominus.* Mich. 3. 12. *Sion quasi ager* שָׂרָה ( *pro כְּשָׂרָה* ) *arabatur.*

Num.



Num. 12. 5. *Descendit Dominus in columna nubis, & stetit in introitu פתח (pro בפתח) tabernaculi.* Num. 14. 25. *reuertimini in solitudinem.* להמרפר pro המרפר. Ose. 8. 10. *requiescent paulisper ab onere מלך שרים (pro ושרים) regis & principum.* Item casus verborum videndi & audiendi, ubi subintelligitur id, quod hisce sensibus pro tali vel tali hominis constitutione, solet gratum ac iucundum esse. ut Psal. 35. 21. *Euge, euge, viderunt oculi nostri, quod scilicet ad eum expectabamus, exitium eius.* Psal. 92. 12. *In insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea, vindictam nimirum, quam exspecto.* Item aduersatiuæ, Pl. 119. 157. *multi qui persequuntur me, & tribulant me, & (tamen) à testimonijs tuis non declinaui, &c.* Huc spectat illud Iob. 1. 21. *Nudus egressus sum de utero matris mee, & nudus reuertar שמה illuc.* cum enim uterus maternus referri non possit, debet aliquod externum, nimirum terra, subintelligi.

3. Ad Zeugma, quod legimus Prou. 14.

מציל נפשות עד אמת ויפה כובים מרמה 25.  
*Eruit animas testis veritatis, & efflat mendacia doli, ubi ex priori membro resumendus est עד testis, ut sensus fiat: testis-doli, seu dolosus. Exod. 3. 16. Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, אלהי אברהם, אלהי יצחק, אלהי יעקב Deus Abraham, Isaac, & Jacob, id est, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. ut supra v. 6. repetitur. Ps. 22. 21. Erue הצילה à framea Deus animam meam, & ( הצילה erue ) de manu canis uricam meam.*

4. Ad Syllepsin spectat, quòd Hebræi verbum reddere soleant proximo nomini, seu masculinum sit, seu fœmininum. nam inde alterum genus assumendum est, ut Num. 12. 1. ותדבר מרים ואהרן. *Locutaque est Maria & Aaron contra Moysen. Esth. 5. 29. ותכתב Et scripsit Esther regina filia Abihail & Mardocheus Judæus. Iob. 19. 15. Inquilini domus meæ, & ancilla meæ sicut alienū החשבני habuerunt me, vbi tamen secundum quosdam finis verbi est generis masc. ut sic uterque sexus comprehendatur.*

5. Ad

5. Ad Prolepsin illud 1. Sam. I. 2. וְלוֹ שְׁתֵּי נָשִׁים  
*Et habuit duas uxores, nomen uni Anna, & nomen secundæ Phenenna.* Huc reduci etiam potest figura sacris literis usitatissima, quæ ἐπεξήγησις vocant, qua, quod obscuriùs dici videbatur, sequenti verbo vel oratione clariùs exprimitur. vt Gen. II. 1. *Erat autem terra labij unius. & sermonum eorundem* Exod. 16. 29. שְׁבוּ אִישׁ תַּחְתּוֹ מַנְעֵהוּ *manete unusquisque sub se, siue apud semetipsum, quod quia non satis clarum est, subiungitur, nullus egrediatur de loco suo die septimo.* Gen. 9. 4. *veruntamen carnem cum anima eius, sanguine eius, בְּנֶפֶשׁוֹ דָמוֹ non comedetis.*

6. Etiam Hypallagen reperire licet, vt Iud. I. 8. וְאֶת-הָעִיר שָׂלְחוּ בָאֵשׁ *& ciuitatem miserunt in ignem, pro, ignem miserunt in ciuitatem.* 2. Reg. 5. 7. *iste misit ad me, לְאִסְרָהוּ אִישׁ מִצָּרְעָתוֹ ad auferendum virum à lepra sua, pro, ut auferam à viro lepram ipsius.* Amos. 5. 16. *vocabunt agricolam ad luctum, וּמִסְפָּד אֶל-יֹדְעֵי נְהוּ & planctum ad scientes lamentum, pro, & ad planctum eos, qui sciunt*




plangere. 2. Reg. 9. 30. וַתִּשֶׁם בַּפֶּה עֵינֶיהָ & posuit in stibium oculos suos, pro, & posuit stibium in oculos suos.

7. Item Hyperbaton, vt Ps. 116. 14. *Vota mea Domino reddam coram nunc* נִגְדָה־נָּא *omni populo eius, pro, nunc reddam coram, &c.* nisi potius נָּא לֹא fit expletiva particula cūm etiam interpretes illud non expriment. Iob 38. 21. *sciebas, quod tum nasciturus esses* יָדַעְתָּ בִּי־אֵן תֵּוֹלֵד *pro, sciebas tum, quod nasciturus esses.* Sic Ps. 139 14. *mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis, pro, nimis seu valde mirabilia opera tua, nisi fortè, quod alij volunt, David de magna gloriatur cognitione sua. Huc referri potest illud Iobi 23. 6. לֹא אֶךְ־הָוָה יִשָּׂם בִּי* *pro לֹא אֶךְ־הָוָה tantum ipse non incumbat in me, quod noster vertit, nec magnitudinis suæ mole me premat.*

8. Tandem quemadmodum sæpe quid desideratur, vt vidimus, ita non raro quædã videntur redundare, tantumque explementi vel ornamenti causa poni, vt  
Eccl.

Eccl. II. 8. *si annis multis vixerit homo, &c.*  
 Hebr. **כִּי** **וְ** *quoniam si, &c.* Sic Ps. 39. 9. **וְ**  
 fumitur potius expletiuè, quàm aduerfa-  
 tiuè, vbi dicitur: *veruntamen uniuersa vani-  
 tas omnis homo viuens, & v. 7. Veruntamen in  
 imagine pertransit homo.* Ps. 4. v. 4. *Et scitote,  
 quoniam, &c.* illud **וְ** seu **וְ** redundat, sicut  
 etiam in librorum initiis, redundare so-  
 let, nisi potius dicendum, quòd libros li-  
 bris, aut mentalem vocali sermoni con-  
 nectat. Idem accidit in pronomibus. vt  
 Cant. 2. 13. *surge ( וְלִי tibi ) amica mea, spe-  
 ciosa mea, & veni ( וְלִי tibi ) columba mea.*  
 Prou. 22. 20. *ostendi eam tibi hodie וְלִי-וְלִי*  
*etiam tu. & 23. 15. Gaudebit cor meum tecum*  
*וְלִי וְלִי etiam ego.* Et hic finis esto huius  
 partis. nam plura qui volet, sacros inter-  
 pretes consulere debet.



# INSTITVTIONVM

## HEBRAICARVM

# PARS SEXTA.

### *De Poësi Hebraeorum.*

**V**ETERES illos Hebræos, præcipuè Mosén, Dauidem, aliosque nonnullos sanctos, arte Poëtica insigniter claruisse, eaque in laudibus Dei Opt. Max. decantandis usos esse, non modò grauium auctorum sententia est, sed ipsa quoque diuinarum literarum monumenta satis superque testantur; quippe quæ nobis Psalmos, varia Cantica, aliâque non pauca, ut Iobum ferme totum, exhibent per adeo diuersam à reliquo sacrae dictionis contextu formam, ut dici vix aliud possit, quàm ista in certos modos ac versus esse ligata & coacta, cùm reliqua libero eloquendi stylo decurrant. At quales hi modi ac versus? adhuc nemo recentiorum satis est



est affecutus , nec conandum cuiquam videtur ,  
 ut assequatur. Cùm enim illa , unde ratio metri  
 dependet , adeò incerta sint ( num scilicet puncta  
 ubique à Rabbinis aptè sint posita , num quæ-  
 dam in carmine breuibus an longis adnumeran-  
 da , quando sbeua quiescat vel sonet , & alia , de  
 quibus prima parte actum est ) profectò quale  
 quodque genus carminis sit , constare non potest.  
 Accedit , quòd forsitan non minus Hebræa , quàm  
 aliæ nonnullæ gentes , sibi propriam quandam  
 habuerint atque excoluerint poësin , quæ cùm  
 posteriores omnes Rabbinos fugiat , omnino pe-  
 rijsse potiùs censenda est , quàm eius ratio inani  
 labore indaganda. Nec refert S. Hieronymum  
 præfatione in Iob ita scribere : A principio  
 voluminis vsque ad verba Iob , apud He-  
 bræos prosa oratio est. Porro à verbis  
 Iob , in quibus ait : Pereat dies , in qua  
 natus sum , & nox , in qua dictum est , conce-  
 ptus est homo , vsque ad eum locum ,  
 vbi ante finem voluminis scriptum  
 est , Idcirco ipse me reprehendo , & ago  
 pœnitentiam in favilla & cinere : hexa-  
 metri

metri versus sunt, dactylo spondæoque  
 currentes: & propter linguæ idioma, cre-  
 brò recipientes alios pedes, non earun-  
 dem syllabarum, sed eorundem tempo-  
 rum. Interdum quoque rythmus ipse  
 dulcis & tinnulus fertur numeris pedum  
 solutis: quod metrici magis quàm sim-  
 plex lector intelligunt. A suprà dicto au-  
 tem versu usque ad finem libri paruum  
 comina, quod remanet, prosa oratione  
 contexitur. *Non, inquam, refert, quia ni-  
 hil aliud S. Doctor vult, quàm similitudinem  
 quandam inter ista Iobi carmina, & Græcorum  
 Latinorumuè hexametra intercessisse, quem-  
 admodum ex ipsomet iam allato textu deduci  
 potest, quæ similitudo S. Hieronymi ætate quan-  
 taquanta fuerit; nunc post adiecta puncta non  
 adeo magna cernitur. Hæc cum ita sint, omissa  
 veteri, nouam Rabbini Poësin suis punctis le-  
 gendique rationi accommodatam excogitarunt,  
 certo syllabarum numero, certaque pedum di-  
 mensione ac syllabarum quantitate constantem,  
 quæ cum inelegans non sit, & Christianis quo-  
 que*

que ad Dei laudes Hebraicè canendas videatur aliquid utilitatis allatura, placuit eam breviter subiungere.

---

## CAPVT I.

### *De Syllabis ac Pedibus.*

**S**YLLABÆ vocum Hebraicarum diuiduntur in longas & breues. Longæ dicuntur, quæ constant vno ex decē punctis vocalibus, de quibus egimus pag. 6. Quare in Poëtica etiam longa habentur פֿ, חיריכֿ paruuֿ פֿ, חֿ, quæ aliàs breuia seu minùs longa sunt. Breues verò syllabæ vocantur illæ, in quibus est scheua mobile simplex aut compositum, פֿ, חֿ, aut י, initiale ante labiales הֿ מֿ וֿ בֿ, aut literam scheuatam, positum pro י (de quo pag. 244. 17.) quæ omnia sunt puncta breuissima.

Scheua quiescens, vt in lectione, ita etiam in carmine negligitur, cùm syllabarum numerum non augeat, nisi per  
 Diæ



Diæresin moueatur, aut per Diastolen producat, vt suis locis videbimus.

Parach suffuratum literis הח in fine dictionum additum, in Poësi etiam peculiarem syllabam facit. Itaque משיח *Christus*, שמע *audiens*, trisyllaba habentur, quæ, ratione accentus, tantùm disyllaba sunt, & sic de alijs.

PEDES, quibus in suis versibus componendis utuntur Hebræi, duo tantùm sunt. Alter dicitur תנועה *motio*, à נוע *mouere*, & constat una syllaba longa תם *perfectus*, וְלִי *illi*. Alter dicitur יתר *clausus*, constans duabus syllabis, vna breui, altera longa, instar, Iambi, vt לך *tibi*, עמוד *stare*, אמור *dic*, וראה *vide*, ופה *os*.

Porro ex his duobus pedibus, Tenua & Iambus, variè permixtis fiunt alij tres, qui nobis appellantur Spondæus — דבר *verbum*: Bacchius, — — — דברי *verba*: Creticus, — — — כורמי *viniteres*; Per hos Latinos pedes & Iambum, utpote notiores, Hebræorum carmina metiemur.

## CAPVT II.

*De quibusdam versuum appellationibus, Rhythmo versuum, & eius locis.*

**H**EBRÆI plerunque ad finem vsque Carminis binos versus coniungunt, vt in nostris Elegijs, vel Distichis fieri solet. Priorem versum (qui quasi Hexametro respondet) appellant *רִלִּית* *ostium*, quòd per illum fiat ingressus in carmen. Posteriores (qui Pentametri loco est) vocant *סְגוֹר* *clausulam*, quia carmen claudit. Vtrumque verò coniunctum nominant *בַּיִת* *domum*, nos Distichon appellare possumus. Debet autem *סְגוֹר* vel subscribi versui *רִלִּית* (vt in Latinis Distichis fieri videmus) vel si in eadem quoque linea ob paucitatem syllabarum scribatur, ita distingui & separari, vt per se singula spectari possint, hoc modo:

*Segor*

Segor.

Daleth.

מְרִים שִׁילֶדֶת לָנוּ חָן : שִׁירָנוּ אוֹתָךְ יִרְנֶה

*Maria, quæ peperisti nobis gratiam : Carmen nostrum te laudabit.* Denique Carmen continens פְּתִים siue disticha pauciora quàm decem, dicitur פַּסוּק *versus*, à Chaldaico פַּסֶּק *clausit*. Quod verò decem vel plura continet, vocatur שְׁרִיה vel שִׁיר *Canticum*. Tres alias versuum appellationes in proximo capite explicabimus.

*De Rhythmo versuum, & eius locis.*

Hebræi ad sua carmina condienda, Rhythmum quasi salem adhibere solent. Fit autem Rhythmus tribus ferè modis. PRIMO, solæ literæ simplices, (siue plures, siue vna) nulla habita punctorum ratione conueniunt, vt דָּבָר *verbum*, דָּבָר *pestis*. פֹּסֶם *tributum, calix*. Et hic Rhythmus dicitur עוֹבֵר *transiens*, seu *vulgaris*, quòd ita transeat aures, vt vix agnoscat. Rarò invenitur, eò quod nihil ferè artis habeat.

SECUNDO



SECUNDO, in integra syllaba tam literæ, quàm puncta in fine conteniunt, ut  $\text{וַיֵּאָדָר} \text{וַיֵּאָדָר}$  *via, genu.* Et hîc vocatur  $\text{וַיֵּאָדָר}$  *conspicuus, siue elegans, à וַיֵּאָדָר vidit.*

TERTIO, duæ syllabæ, ut  $\text{וַיֵּאָדָר}$ ,  $\text{וַיֵּאָדָר}$  *oculi, aures,* similiter cadunt. Et hic appellatur Rhythmus  $\text{וַיֵּאָדָר}$ , id est, *laudatus,* qui Hebræis admodum familiaris est. Porro in his Rhythmi modis, ex literis & vocalibus, quæ pronunciatione, aut sono affines sunt, una pro alia non rarò ponitur. Hinc istæ syllabæ,

$\text{אָה עָה : בָּה וָה : פָּה אָה : צָה אָה}$   
 $\text{רָה רָה : רִי רִי : רִון רִון : &c.}$

Rhythmum efficiunt etiam in canticis Eliæ, qui huius facultatis facile princeps est. Literæ eiusdem soni sunt  $\text{ה א ה} : \text{ט ש : צ ז : כ ק : ב ו פ : ד ט}$  & si quæ aliæ.

Sed iam videndum est, quibus in locis Rhythmus adhiberi possit ac soleat. Ac primò quidem Segor vnus  $\text{בֵּית}$  seu distichi, cum  $\text{סִגֹּר}$  alterius eundem rhythmum

per totum carmen habet, ita ut דָּלֶת  
 utriusque בַּיִת ab omni Rhythmo libe-  
 rum sit, hoc modo:

|              |           |           |          |          |          |
|--------------|-----------|-----------|----------|----------|----------|
| וְצַבִּי     | כַּנְשֵׁר | קֵל       | אֲחִיָּה | Daleth.  | } Baith. |
| אִו לְבַיִת  | כַּנְמֵר  | עַז       | נֹס      | Segor.   |          |
| כַּחֲלָמִישׁ | פָּנִי    | אֲשׁוּם   | Daleth.  | } Baith. |          |
| אֲבִי        | לַעֲשׂוֹת | כִּרְצוֹן | אֱלֹהֵי  |          | Segor.   |

*Ero velox sicut aquila & hinnulus. Et  
 fortis sicut pardus aut leo. Ponam faciem  
 meam sicut petram. Ad faciendum secundum  
 voluntatem Dei mei, patris mei.*

Idem fit in his Dimetris.

*Agamus cuncti gratias*

*Nostræ salutis vindici.*

*Scelus vitemus pessimum,*

*Puri occurramus Judici.*

Vt enim hîc vindici & Judici, ita ibi אֲבִי  
 & לְבַיִת in utroque Segor Rhythmum fi-  
 nalem efficiunt. Melius verò erit, si etiam  
 Daleth unius distichi siue בַּיִת cum Daleth  
 alterius in Rhythmo finali conuenire  
 possit. Atque hoc Carmen Rhythmicum,  
 vocatur שִׁיר קָשׁוּר *carmen ligatum*, quo Elias,  
 & alij,

& alij, qui Epigrammata scribunt, frequenter utuntur.

SECUNDO, Daleth & Segor in quolibet בית siue disticho eundem Rhythmum finalem habent, ut

Segor.

Daleth.

אֲשָׁא לְבִי גַם כְּפִי־וֹסִי : אֶל-הַיּוֹשֵׁב בְּשָׁמַיִם־וֹסִי

Segor.

Daleth.

מִכָּל רָעָה יִצִּילֵנִי ; כִּי יֹשֵׁנוּ תַמִּיר פִּדְנֵנוּ

*Leuabo cor meum, & manus meas, Ad sedentem in cœlis. Ex omni malo liberabit me ; Quia ipse est iugiter redemptor meus.*

Et hoc carmen אֲשָׁא לְבִי גַם כְּפִי־וֹסִי dicitur שִׁיר חֲרוּי *carmen Rhythmicum.* ( חֲרוּי enim aliàs *torquem* significans Rabbiniis est *Rhythmus*, inde adiectivum חֲרוּי *Rhythmicus* ) in quo vel singula בָּתִּים suum proprium Rhythmum habere possunt ( ut in duobus præcedentibus videre licet ) vel omnes versus ad finem usque carminis eundem planè Rhythmum retinent, atque ita similiter desinunt. Exemplo sit secundum canticum Eliæ, in quo omnes versus ( qui



numero sunt viginti octo,) exeunt in זח.  
 Quidam Carmen קשור & חרוי paulò aliter  
 explicant: sed hæc, quæ diximus, ad  
 mentem Eliæ & aliorum autorum Poë-  
 seos Hebraicæ accommodatiora viden-  
 tur.

TERTIO, Quatuor פתים seu octo  
 versus ita construi possunt, vt primus, se-  
 cundus, & terius: quintus, sextus & septi-  
 mus: quartus & octauus suos proprios  
 Rhythmos finales habeant. Elias Cant. 5.  
 cuius versus constant Iambo, & duobus Spōdeis.

|           |                 |              |             |        |
|-----------|-----------------|--------------|-------------|--------|
| אָחוּחַ   | אֶת־דַּעַי      | בְּשֵׁם      | חָאֵל       | רוּעִי |
| וְחוּחַ   | יִתֵּן יִשְׁעַי | לְיִשְׂרָאֵל | מֵעַגְלִים: |        |
| לִבִּי    | אֲזִרֶעַ        | וְדַקְדֹּק   | אֲבִיעַ     |        |
| בְּדַגְשׁ | אֲצִיעַ         | פְּרָטִים    | וּכְלָלִים: |        |

*Indicabo scientiam meam, in nomine Domini  
 pascentis me. Et ipse dabit auxilium mihi, ad  
 dirigendum calles.*

*Cor meum erudiam, & Grammaticam eructabo:  
 De Dagesch proponam specialia generalia.*

Simile quid cernitur in illa Ecclesiasti-  
 ca Melodia D. Thomæ Aquinatis.

*Ecce*

*Ecce panis Angelorum.**Factus cibus viatorum.**Verè panis filiorum,**Non mittendus canibus.**In figuris præsignatur,**Cùm Isaac immolatur,**Agnus Paschæ deputatur,**Datur Manna Patribus.*

Nihil autem obstat, quò minùs eadem Rhythmica structura apud Hebræos etiam in versibus paucioribus fieri possit.

Huius autem generis carmen vocatur *מחלק שיר* *Carmen divisum*, à *חלק* *divisit*.

## CAPVT III.

*De Carmine simplici & composito.*

EX illa priori divisione pedum Hebraicorum duplex genus carminis oritur. Nam quod ex solis תנועות, id est, syllabis longis constat, nec ullum scheva mobile recipit, vocatur voce Rabbinica פשוט simplex. Huius tantùm una species usitata reperitur, quæ constat Spondæis quatuor. Elias Cant. 2.

--|--      - | -      -|--  
 נִכְבְּרוֹת      שִׁיר      נָא      אֲשִׁירָה  
 חִירוֹת      וּבְלִי      הַיַּיִטֵּב      בְּאֵר

*Cantabo nunc canticum rerum magnificarum,  
Explicando bene & absque enigmate, &c.*

Vocatur etiam Carmen Quadratum, eò quòd ex duabus quadratis dimensionibus constet.

Quod autem partim ex תְּנוּעוֹת, partim ex יִתֵּר componitur, dicitur מוֹרְכָב שִׁיר *carmen compositum*, (enim רַכֵּב Rabbinis est *componere*) cuius 18. genera numerantur.

PRIMUM, constat Iambo, & duobus Spondæis.

-- | --      -      -      -      -  
 מַעַל      אֲנָשִׁי      לְכֹל  
 תִּנְעַל      נַפְשִׁי      מֵאֵד  
*Omnes homines mendaces,  
Valdè anima mea odit.*

SECUNDUM, Spondæo, Iambo, & Spondæo.

-- | --      -      -      -      -  
 בְּהַתְּ-פִלֵּל      רַפָּה  
 בְּעֵינֵי אֵל      יָרַע  
*Remissus in precando  
Displicebit in oculis Dei.*

TERTIUM,



TERTIVM, Spondæo, Bacchio & Iambo. In fine טֶזֶ Segor mutatur etiam Iambus in Spondæum.

—וּ | —וּ | —

בָּרָא אֱלֹהִים אֱנוֹשׁ

בְּנֵן מְרִימוֹ לְרֵאשׁׁ:

*Creavit Deus hominem*

*In horto, exaltans eum in principem.*

QUARTVM, Cretico, Spondæo, & Bacchio.

—וּ | —וּ | —וּ

טוֹב יְהוֹשֻׁעַ שְׁלַח לִי

חֲנֹךְ קָרוֹשׁ בְּלִבִּי:

*Bone Iesu mitte mihi.*

*Gratiam tuam sanctam in cor meum.*

QUINTVM, Spondeo & duobus Bacchijs.

—וּ | —וּ | —

יָבֵשׁ בְּקִרְאֵי גְרוֹנִי

רָבַק לְחַפֵּי לְשׁוֹנִי:

*Exaruit in clamore meo guttur meum*

*Adhæsit faucibus meæ lingua mea.*

SEXTVM, Spondæo, Iambo, & duobus Spondæis.

--- | -ט- | ---  
 קוֹמָה אֱלֹהִים עוֹרְתָה  
 לִי וְעֵנָה בְּצָרְתָה:

*Surge Deus (in) auxilium*

*Mibi, & exaudi in tribulatione.*

SEPTIMUM, Iambo, Spondæo, Iambo,  
 Spondæo.

--- | -ט- | --- | -ט- | ---  
 אֲשֶׁר יֵלֵךְ בְּדֶרֶךְ רָע  
 אֲבַל קוֹל צוֹרְרָיו יִשְׁמַע:

*Qui ambulat in via mala,*

*Certe vocem hostium suorum (dæmonum) audiet.*

OCTAVUM, Iambo, duobus Spondæis  
 & Bacchio.

--- | -ט- | --- | -ט- | --- | -ט- | ---  
 מֵהֵלֵל תְּמִיד הָאֱלֹהִים  
 אֲשֶׁר חָנַן אֶת-הָאֲנָשִׁים:  
*Laudandus semper Deus,*  
*Qui misertus est hominis.*

NONVM, quatuor Creticis.

--- | -ט- | --- | -ט- | --- | -ט- | ---  
 מֵה אָנוּשׁ מֵה-פֶּאֶר הָאָנוּשׁ מֵה-יִקָּר  
 הַכָּאֵב מוֹת שָׂאֵר הַשְּׂאוּל הוּא שְׂאֵר:  
*Quid homo? quod decus hominis? quæ gloria?*  
*Dolor, mors corporis: sepulchrum hoc residuum (eius.)*

DECIMUM

DECIMUM, Iambo, duobus Spondæis,  
Iambo & Spondæo, licet primo loco  
Spondæus, secundo verò etiam Iambus  
esse possit.

— — | — — | — — | — — | — —

בְּשֵׁם אֱלֹהֵי הַגִּיּוֹן לְשׁוֹנְנֵינוּ

בְּעוֹד רוּחַ חַיִּים בְּאַפְנוֹ:

*In nomine Dei viventis sermo linguae nostrae,*

*Quamdiu spiritus vitae in naribus nostris.*

VNDECIMUM, Spondæo, Iambo, Spon-  
dæo, Iambo, & Molosso, vel Spondæo.

— — — | — — | — — | — — | — —

בְּחַסְדֶּךָ גְּדוֹל מְאֹד חֲנֻנֵינוּ

חֲנוּן מְחַה רַבִּים פְּשְׁעֵינוּ:

*Secundum misericordiam tuam magnam valde  
miserere nostri.*

*Miserendo dele multas iniquitates nostras.*

DVODECIMVM, Iambo vel Spondæo,  
Spondæo vel Iambo, Iambo, Spondæo,  
Bacchio.

— — | — — | — — | — — | — —

בְּךָ אֶת־מַחְסֵי שְׁמַתִּי אֲדַנִּי

אֲתָהּ בְּטוֹבֶךָ יִשְׂרָד דַּרְכֵי:

*In te spem meam posui Domine:*

*tu in bonitate tua dirige vias meas.*



DECIMVM TERTIVM, Spondæis & Iambis alternatim positis.

| -- | - ט | -- | - ט | --

כִּפִּיא אָבִי קֹהֵל וְשֵׁר עֲלִיּוֹן

מִכָּל שְׁלִיחִים עִם עֲזוֹר אֲבִיוֹן:

*Petre Pater Ecclesiæ, & princeps excelsæ*

*Præ omnibus Apostolis, populum iuua pauperem.*

DECIMVM QVARTVM, ex quinque Bacchijs.

| -- ט | -- ט | -- ט | -- ט | -- ט

לְדַבֵּר תְּהִלּוֹת לְמַרְיָם לְבֹנוֹ כָּל מְשִׁיחִים

וְחַיָּא יִלְדָּה אֶת־אֱלֹהִים בְּתַמַּת בְּתוּלִים:

*Ad dicendum laudes Mariæ, venite omnes Christiani.*

*Quia ipsa peperit Deum in integritate virginitatis.*

DECIMVM QVINTVM, componitur ex primo, cuius idcirco metrum tantum duplicatur.

-- | -- | - ט | -- | -- | - ט

Huius generis duo disticha attulimus pro מחלק pag. 373.

DECIMVM SEXTVM, Spondæo, Iambo, Spondæo, Iambo, Spondæo, Iambo.

| - ט | - | - ט | - | - ט | - | -

לִי ת־עֲזוֹר אֱלֹהֵי וִירֵי תַחֲזִיק

הִנֵּה בְלִי עֲזֹרְתְּךָ אֵינְעֵ לְרִיק:

*Me iuua Deus meus, & manum meam fortifica.*

*Ecce sine auxilio tuo laboro inaniter.*

DECIMVM

DECIMVM SEPTIMVM, Bacchio, Iambo, Spondæo, Bacchio, Iambo, Spondæo.

--|---|---|---|---|---|---|---|---|---  
 בְּתוֹלֵת יָקָר הֵתַף לִלִּי עַל-עוֹנֵינוּ  
 וְאַתְּ חֵן בְּנֶךְ לָנוּ קְנִי-נָא בְּמוֹתָנוּ

*Virgo gloriæ ora pro iniquitatibus nostris:*

*Et gratiam filij tui nobis impetra queso in morte nostra.*

DECIMVM OCTAVVM, Spondæo, Iambo, duobus Spondæis, Iambo, vel Bacchio, & Spondæo.

--|---|---|---|---|---|---|---|---|---  
 אֶת-רוּחְךָ קָדוֹשׁ שְׁלַחֵהּ בְּנַפְשֵׁנוּ  
 כִּי הוּא יִשְׂמַח לְעַד בְּאַמֵּת לִבֵּנוּ

*Spiritum tuum sanctum mitte in animam nostram,*

*Quia ipse latificabit perpetuo in veritate cor nostrum.*

Hæc ferè sunt Carminum genera, quæ à præcipuis auctoribus vel vſurpata, vel adſcribēdi vſum propoſita ſunt. In quibus ſiſeſe Hebraicæ linguæ ſtudioſus exerce- re velit, præſtat à quadrato ſiue ſimplici omnium facillimo initium facere, & inde ad vnum, vel plura ex compoſitis progredi, quæ cuiuſque ingenio magis accom- modata videbuntur. Sunt qui velint, cui-

vis

